



## PART B DE LA PRIMERA PROVA: EXERCICI DE CARÀCTER PRÀCTIC

### OPCIÓ A

#### I. TRADUCCIÓ SENSE DICCIONARI

[3] Sed ne cui vestrum mirum esse videatur me in quaestione legitima et in iudicio publico--cum res agatur apud praetorem populi Romani, lectissimum virum, et apud severissimos iudices, tanto conventu hominum ac frequentia--hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat; quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, admodumdatam huic reo, vobis (quem ad modum spero) non molestam, ut me pro summo poeta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique praetore exercente iudicium, patiamini de studiis humanitatis ac litterarum paulo loqui liberius, et in eius modi persona, quae propter otium ac studium minime in iudiciis periculisque tractata est, uti prope novo quodam et inusitato genere dicendi.

[4] Quod si mihi a vobis tribui concedique sentiam, perficiam profecto ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium, verum etiam si non esset, putetis ascendum fuisse. Nam ut primum ex pueris excessit Archias, atque ab eis artibus quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet se ad scribendi studium contulit, primum Antiochiae--nam ibi natus est loco nobili--celebri quondam urbe et copiosa, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis adfluenti, celeriter antecellere omnibus ingeni gloria contigit. Post in ceteris Asiae partibus cunctaque Graeciae sic eius adventus celebrabantur, ut famam ingeni exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret.

[5] Erat Italia tunc plena Graecarum artium ac disciplinarum, studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur quam nunc eisdem in oppidis, et hic Romae propter tranquillitatem rei publicae non neglecebantur. Itaque hunc et Tarentini et Regini et Neopolitani civitate ceterisque praemiis donarunt; et omnes, qui aliquid de ingenii poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. Hac tanta celebritate famae cum esset iam absentibus notus, Romam venit Mario consul et Catulo.



## PART B DE LA PRIMERA PROVA: EXERCICI DE CARÀCTER PRÀCTIC

### OPCIÓ B

#### I. TRADUCCIÓ SENSE DICCIONARI

[5] Ac mihi quidem hoc dignum re publica videtur, hoc deberi huius excellentis viri praestantissimae gloriae, hoc proprium esse vestri offici, hoc satis esse causae ut, quod fecisse Cn. Pompeium constet, id omnes ei licuisse concedant. Nam verius nihil est quam quod hesterno die dixit ipse, ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare ut nullius in delicti crimen vocaretur. Non enim furatus esse civitatem, non genus suum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delitusse, non inrepsisse in censem dicitur: unum obicitur, natum esse Gadibus, quod negat nemo. Cetera accusator fatetur, hunc in Hispania durissimo bello cum Q. Metello, cum C. Memmio et in classe et in exercitu fuisse; ut Pompeius in Hispaniam venerit Memmiumque habere quaestorem coeperit, numquam a Memmio discessisse, Carthagine esse obsessum, acerrimis illis proeliis et maximis, Sucronensi et Turiensi, interfuisse, cum Pompeio ad extremum belli tempus fuisse. [6] Haec sunt propria Corneli, pietas in rem publicam nostram, labor, adsiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, spes pro periculis praemiorum; praemia quidem ipsa non sunt in eius facto qui adeptus est, sed in eius qui dedit. Donatus igitur est ob eas causas a Cn. Pompeio civitate. Id accusator non negat, sed reprehendit, ut in Cornelio causa ipsius probetur, poena quaeratur, in Pompeio causa laedatur, poena sit nulla nisi famae: sic innocentissimi hominis fortunas, praestantissimi imperatoris factum condemnari volunt. Ergo in iudicium caput Corneli, factum Pompei vocatur. Hunc enim in ea civitate in qua sit natus honestissimo loco natum esse concedis, et ab ineunte aetate relictis rebus suis omnibus in nostris bellis nostris cum imperatoribus esse versatum, nullius laboris, nullius obsessionis, nullius proeli expertem fuisse. Haec sunt omnia cum plena laudis tum propria Corneli, nec in iis rebus crimen est ullum.

**PART B DE LA PRIMERA PROVA: EXERCICI DE CARÀCTER PRÀCTIC  
OPCIÓ B****II.A. TEXT EN VERS**

Traducció amb diccionari i comentari fonètic, morfològic i mètric

Exul inops comtempta novo Medea marito  
dicit, an a regnis tempora nulla vacant?

At tibi Colchorum, memini, regina vacavi,  
ars mea cum peteres ut tibi ferret opem!  
tunc quae dispensant mortalia fila sorores, 5  
debuerant fusos evoluisse meos;  
tum potui Medea mori bene! quidquid ab illo  
produxi vitae tempore, poena fuit.  
Ei mihi! cur umquam iuvenalibus acta lacertis  
Phrixeam petiit Pelias arbor ovem? 10  
cur umquam Colchi Magnetida vidimus Argon  
turbaque Phasiacam Graia bibistis aquam?  
cur mihi plus aequo flavi placuere capilli  
et decor et linguae gratia ficta tuae?  
aut, semel in nostras quoniam nova puppis harenas 15  
venerat audacis attuleratque viros,  
isset anhelatos non praemedicatus in ignes  
inmemor Aesonides oraque adusta boum!  
semina iecisset totidem sevisset et hostes,  
ut caderet cultu cultor ab ipse suo! 20  
quantum perfidiae tecum, scelerate, perisset!  
dempta forent capiti quam mala multa meo!  
Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas;  
hac fruar, haec de te gaudia sola feram.  
iussus inexpertam Colchos advertere puppim 25  
intrasti patriae regna beata meae.  
hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est;  
quam pater est illi, tam mihi dives erat.  
hic Ephyren bimarem, Scythia tenus ille nivosa  
omne tenet, Ponti qua plaga laeva iacet. 30  
Accipit hospitio iuvenes Aeeta Pelasgos,  
et premitis pictos corpora Graia toros.  
tunc ego te vidi, tunc coepi scire, quid esses;  
illa fuit mentis prima ruina meae.  
et vidi et perii! nec notis ignibus arsi, 35  
ardet ut ad magnos pinea taeda deos.  
et formosus eras et me mea fata trahebant:  
abstulerant oculi lumina nostra tui.  
perfide, sensisti! quis enim bene celat amorem?  
eminet indicio prodita flamma suo. 40

**PART B DE LA PRIMERA PROVA: EXERCICI DE CARÀCTER PRÀCTIC  
OPCIÓ B****II.B. TEXT EN PROSA**

Traducció amb diccionari i comentari sintàctic i estilístic, sociocultural o històric, segons les característiques de l'autor

[56] Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit, cohortis pro numero militum complet. Deinde, ut quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat, aequaliter distribuerat ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, cum initio non amplius duobus milibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudis portabant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere, modo ad urbem, modo in Galliam versus castra movere, hostibus occasionem pugnandi non dare. Sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cuius generis initio ad eum magnae copiae concurrebant, opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existumans videri causam civium cum servis fugitivis communicavisse.

[57] Sed postquam in castra nuntius pervenit Romae coniurationem patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque, quos supra memoravi, supplicium sumptum, plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur; reliquos Catilina per montis asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit eo consilio, uti per tramites occulte perfugeret in Galliam Transalpinam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat ex difficultate rerum eadem illa existumans, quae supra diximus, Catilinam agitare. Igitur ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movit ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditos in fuga sequeretur. Sed Catilina, postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res advorsas, neque fugae neque praesidi ullam spem, optumum factu ratus in tali re fortunam belli temptare, statuit cum Antonio quam primum configere.

**PART B DE LA PRIMERA PROVA: EXERCICI DE CARÀCTER PRÀCTIC**  
**OPCIÓ A**

**II.A. TEXT EN VERS**

Traducció amb diccionari i comentari fonètic, morfològic i mètric

Fabula narratur toto notissima caelo, Mulciberis capti Marsque Venusque dolis. Mars pater, insano Veneris turbatus amore, De duce terribili factus amator erat.	
Nec Venus oranti (neque enim dea mollior ulla est)	565
Rustica Gradivo difficilisque fuit.	
A, quotiens lasciva pedes risisse mariti	
Dicitur, et duras igne vel arte manus.	
Marte palam simul est Vulcanum imitata, decebat,	
Multaque cum forma gratia mixta fuit.	570
Sed bene concubitus primos celare solebant.	
Plena verecundi culpa pudoris erat.	
Indicio Solis (quis Solem fallere possit?)	
Cognita Vulcano coniugis acta suae.	
Quam mala, Sol, exempla moves! Pete munus ab ipsa	575
Et tibi, si taceas, quod dare possit, habet.	
Mulciber obscuros lectum circaque superque	
Disponit laqueos: lumina fallit opus.	
Fingit iter Lemnon; veniunt ad foedus amantes:	
Impliciti laqueis nudus uterque iacent.	580
Convocat ille deos; praebent spectacula capti:	
Vix lacrimas Venerem continuisse putant.	
Non vultus texisse suos, non denique possunt	
Partibus obscenis opposuisse manus.	
Hic aliquis ridens 'in me, fortissime Mavors,	585
Si tibi sunt oneri, vincula transfer!' ait.	
Vix precibus, Neptune, tuis captiva resolvit	
Corpora: Mars Thracen occupat, illa Paphon.	
Hoc tibi pro facto, Vulcane: quod ante tegebant,	
Liberius faciunt, ut pudor omnis abest:	590
Saepe tamen demens stulte fecisse fateris,	
Teque ferunt artis paenituisse tuae.	
Hoc vetiti vos este; vetat deprensa Dione	
Insidias illas, quas tulit ipsa, dare.	
Nec vos rivali laqueos disponite, nec vos	595
Excipite arcana verba notata manu.	
Ista viri captent, si iam captanda putabunt,	
Quos faciet iustos ignis et unda viros.	
En, iterum testor: nihil hic, nisi lege remissum	
Luditur: in nostris instita nulla iocis.	600

**PART B DE LA PRIMERA PROVA: EXERCICI DE CARÀCTER PRÀCTIC****OPCIÓ A****II.B. TEXT EN PROSA**

Traducció amb diccionari i comentari sintàctic i estilístic, sociocultural o històric, segons les característiques de l'autor

[38] Sequitur clades, forte an dolo principis incertum (nam utrumque auctores prodidere), sed omnibus quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt gravior atque atrocior. initium in ea parte circi ortum quae Palatino Caelioque montibus contigua est, ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim validus ac vento citus longitudinem circi corripuit. neque enim domus munitamentis saepta vel templa muris cincta aut quid aliud morae interiacebat. impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita adsurgens et rursus inferiora populando, antiit remedia velocitate mali et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. ad hoc lamenta paventium seminarum, fessa aetate aut rudis pueritiae aetas, quique sibi quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos aut opperiuntur, pars mora, pars festinans, cuncta impediebant. et saepe dum in tergum respectant lateribus aut fronte circumveniebantur, vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant in eodem casu reperiebant. postremo, quid vitarent quid peterent ambigui, complere vias, sterni per agros; quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victus, alii caritate suorum, quos eripere nequierant, quamvis patente effugio interiere. nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercent seu iussu.

[39] Eo in tempore Nero Anti agens non ante in urbem regressus est, quam domui eius, qua Palantium et Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. neque tamen sisti potuit, quin et Palantium et domus et cuncta circum hauirerentur.